

**Beitrag zum Pretium Petronianum im Rahmen des neunten Thementages der Mainzer  
Klassischen Philologie: „Caesar und seine Rezeption“  
von Robert Brand**

Jahrelang war unklar, ob die Kapitel VI, 25-28 als Teil des sogenannten Germanenexkurses der *commentarii de bello Gallico* tatsächlich aus Gajus Julius Caesars Feder stammen. Ein Sensationsfund kann diesen Winkel der Caesar-Rezeption nun endlich erleuchten. Vorliegender Ausschnitt kann nämlich eindeutig dem großen römischen Feldherrn zugeschrieben werden. Damit ist auch bewiesen, dass der alte Text eine Fälschung ist.

Weiterhin ein Grund zur Freude: Dieser Ausschnitt kann als erster Beleg deutscher Fastnachtsskultur gesehen werden, sodass deren Beginn nicht im 19. Jahrhundert zu verorten ist, sondern im Zeitalter der Germanen. Dadurch wäre dann doch bewiesen, dass die deutsche Karnevalskultur älter als ihr Gegenstück in Venedig ist.

Wer genauer in den frisch entdeckten Originaltext schaut, kann überdies erkennen, mit welcher Frechheit Pseudo-Caesar nach Inspiration für den eigenen Text gesucht hat: Teilweise wurden ganze Satzkonstruktionen übernommen.

Warum allerdings die vorliegenden 4 Kapitel nachträglich zugunsten weit irrelevanterer Themen geändert wurden, konnte noch nicht geklärt werden.

[25] Ultima hieme ritus mirus quasdam civitates Germanorum unire solet. Tunc civitates utrumque latus fluvii Rheni habitantes conveniunt, ut hiemis exitus gratia festum agant. Iste ritus abs Tencteris septentrione apparet istos pagos tenus, ubi oppida Helvetiorum sita sunt. Hic coetus appellatur festus carnis levandi. Civitatibus nonnullis coactis turba barbarorum acroamata auscultat ac commessiones agit. Eo tempore illi, quamquam parvulis localiter variant, Germani, qui vinum ignorantes multum cervisiae alioquin consumunt, ceteros civitates ebrietate superant.

In loca Rhenum fluvium secundum multa genera celebrantum nasi constat, quae reliqua in Germania visa non sint. Ex quibus, quae maxime differant a ceteris et memoriae prodenda videantur, haec sunt:

[26] Est coetus septentrionalium civitatum, in quo quasi triumviratus creatus est. Huic, qui ex principe magis quam ceteri pollente primo et deinde ex agricola et virgine constitit, rectio conventarum civitatum aliquantisper tribuitur. At cum hi tres regnare vident, veri duces praesentes negotia agunt. Id temporis et acroamatis nugae ab scurris exeruntur et in commessionibus parvae epulae diduntur. Praeterea in istis commessionibus catervae cantorum tympaniferorum horribilium fidicinumque passim sonitum calcantum cient, qui musicae vocabulo minime est dignus. Insuper omnes se mutant habitu, ut non modo simulant servi nobilibus, sed etiam liberi bobus aut alcibus aut uris. Eadem est feminae marisque natura, eadem forma magnitudinoque personarum.

[27] Sunt item, ubi Moenus flumen in Rhenum influit, civitates illum sollemne agitantes. Harum est consimilis septentrionalibus figura et varietas vestituum personarumque, sed ei licet oratorem de rostris acuminibus subinde ducibus maledicere; factum, quod alias multatur. Huic coetui porro discrimini detur istud, quod ubique lineae vexillae applicatae sunt, quae colores quaternos praeferant, neque quisquam est huius Germaniae, qui se attigisse initium eius consuetudinis dicat. Ultro apud huius Germanorum commessiones saepe manufacta capita geruntur ut in scena personae. Horum capitum intentorum magnitudo pueri est.

[28] Tertium est genus eorum, qui circum illam Hercyniam silvam incolunt. His in finibus aequae personae geri soletur, cum amplitudo et figura et species multum ab civitatum septentrionalium personis differat, et adsuescere ad illarum formidem ne milites fortissimi quidem possunt. Personarum aspectus enim est horribilis ceu parvi satyri baccharitur, ut quemque eos animadvertentem territent. Eis in locis quidem, dum commessatio agitur, cantatur, at neque carmina neque fides ab ullo exaudiri possunt. Nam omnis nugacis vestitus est frequentis cymbalis affectus. Quare undique, quamvis ipsi sonitus cantantium magnopere horridus est, ille strepitus eo horridior apparet.